Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35046
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

distordat a recta racione, est dicendum quod culpa non est culpa ergo numquam est licitum committere culpam quantumcumque modicam pro vitando quocumque malo, cum in racione culpe per se includatur racio illiciti. Et enim sequeretur quod illicitum manens illicitum esset licitum. ¶ Intelligendum tamen quod illud quod non est culpa de se ut verbum ociosum dictum ociose, posset dici licite pro vitando malo pene mortis in se vel in alio. Sed tunc non esset culpa, quia tunc non esset circumstancia ociositatis ibi, que ponit ibi totam racionem peccati cum tale verbum diceretur propter debitum finem, et sic non esset ociosum. ¶ Sed de illo quod esset culpa ex suo genere, ut mentiri infallibiliter verum est quod in nullo casu potest esse licitum. Sed posset aliquis dicere: certum licitum malum culpe non sit committendum pro quantumcumque malo pene, potest tamen minor culpa licite committi pro vitanda maiori, ut mendacium pro vitando adulterio, quia licet utrumque distordet a recta racione tamen unum plus quam alterum. Et in hoc casu posset videri quod secundum rectam rationem posset eligi unum peccatum propter maius vitandum. Sed illud non valet quia cum

intrinseca racione peccati includatur racio illiciti. Impossibile est quod oppositum sit esse licitum quantum ad quocumque modo. Sic impossibile est quod homo aliquo modo sit irracionalis cum de racione eius intrinseca sit esse racionale. Item unum peccatum numquam est necessarium committi propter aliud vitandum cum de racione peccati sit esse voluntarium, non necessarium, et ideo non est licitum unum eligere propter aliud vitandum cum utrumque semper possit vitari. ¶ Patet ergo quod malum culpe numquam potest licite eligi propter vitandum malum vel pene vel culpe. De malo autem pene sciendum circa quod numquam potest eligi pro vitando maiori malo pene quod maius non potest vitari nisi incurratur minus, sicut sectio membri ad evadendum mortem corporis ubi alterum oportet incurrere. Sed si utrumque vitari posset peccatum esset eligere quodcumque de eis. Si vero comparemus malum sic quod non solum est licitum sed eciam necessarium malum pene propter malum culpe evitandum. Quandoque vero est licitum licet non necessarium. Illicitum est et necessarium in actibus virtutum que habent pro materia aliquid penale, sicut fortitudo que est circa pericula inferencia mortem, quia qui non agit fortiter quando tempus incumbit